



25042  
LUGO



*APP  
MUSEUM  
VILNENSIS*

COMPENDIVM VITÆ  
**S.GOTHARDI**

EPISCOPI HILDESEMENSIS

ILLMO & REVERENDISSIMO DOMINO

D. GOTTHARDO

TYZENHAVZ

EPISCOPO SMOLENSCENSI


&c. &c. &c.

Natalem diem D. Cognominis

4. Maij Celebranti

à deuoto suæ Celsitudinis cultore

dedicatum



Vilnæ Typis Academicis Societatis IESV  
Anno 1669

Si Sanctorum opera inspicimus, cor nostrum  
topore non constringitur, dum imitatione  
prouocatur. D. Gregor lib. 25. moral. cap. 7.

Est insitum bonis, ut uirtutes suas in aliis a-  
ment; D. Ambr. in Psal. 118



97419

10180

# COMPENDIVM VITÆ S. GOTTHARDI EPISCOPI HILDESEMENSIS.

D. GOTHARDVS natus in Bavaria, educatus in Collegio Canonici corum Althanensi, ut nominis sui auspicia impleret, (Gothardus enim, ex Germanici idiomatici compositione, *Gott hertz*, significat, Cor DEI) à primâ pueritia, tam eximia virtutum dedit exempla, vt singulari illarum commendatione, ad *Christiani* Episcopi Patauiensis, assumeretur familiaritatem. Verum mox suorum desiderijs ab eo reperitus, gradibus virtutum, & sacerorum ordinum ad Sacerdotium protinus, primū Canonicus, tum ex Canonicō Religiosus, demum post diurnam luctam, Antistitutum auctoritate & Religiosorum unanimi consensu, Abbas Althanensis factus. Illustrius ab alto fulgens virtus, oculos Henrici Pijs Imperatoris perstrinxit, atq; sola penē par visa, cæligini monasterii Hersfeldensis, virtio religiosæ disciplinæ superinductæ dispellendæ, idéoq; ad prælucendum ei translata, adiectis alijs duobus cæribus, Degerentii, & Cremensi, adeo feliciter resplenduit, vt omnium non oculos tantum ad sui splendorem converteret, sed animos quoq; ad æstimationem: cum brevi interuallo, omni squallore depulso, antiqui dies, sine nube defectuum illuxisse cernerentur. Unus restabat dignitate & meritis olim in sæculo illustris, Guttherus nomine, qui habitu seviro, delicatum animum regens, fuliginem non raro, virtutibus cæterorum inimicam afflaret. Maluit diu Gothardus, lucis illum pulchritudine pellectum, quam fulgore perstrictum, suis accersere: at cum clementiæ studia, irrita caderent, tantis illum ardentis pietatis, flammis adussit, tanta verborum vi aggressus, vt de Gutthero, alter fieret Gothardus, hoc est, publicum perfectissimarum virtutum exemplar, & admirandus

per annos septem & triginta. Religiosi studij Magister. Functo inde  
vitâ S. Beruardo Episcopo Hildesemensi, nemo rursus Henrico Pio  
Imperatori successor dignior visus Gothardo, et si contra grauiter, dis-  
punctuob; obnitente. Dubium tamen an vicisset Imperator, nisi eadem esse cœli,  
quæ Imperatoris proposita, Gothardo patuisset. Post vñitatas annis  
triginta, diuturnas à nocte media in templo preces, aurora emergente  
in cubiculum se receperat, cum paululum indormiens, oliuam speciosæ  
magnitudinis videt, sc̄q; sub ea studio legendi residentem. Adsunt graues  
viri, atq; illum accedentes, à Rege se missos ut oliuam tollant, denunci-  
ant. Fodiendi mox instrumenta proferunt, sed quó fodunt altius, den-  
siores, tenacioreſq; radices occurruunt. Tandem vt acceleraretur opus, se-  
cūribus agitur, radices succiduntur, è quorum reliquijs noua ac densa  
pullulant virgulta, totumq; implent spatiū, multis hominum acceden-  
tibus, ac plantas inde auellentibus, perq; varia loca distribuentibus. Ob-  
scurior fuit visio, quam vt Gothardus, se tanquam oliuam fructiferam.  
à Rege ad Episcopatum, transferendum, felicibus suæ disciplinæ plantis,  
sic quoq; latè pullulaturis, interpretaretur, imo tantum ab ea sententia a-  
nimo auersus fuit, vt potius se de vita ad tumbam, quam ad infulas trans-  
itum iudicaret. Clarius quod superis statutum, patuit; quando  
redux à certamine Regis & Episcoporum, ex quo inuestitum à mune-  
ris ambitu animum retulerat, pridie S. Andreæ Apostoli, post solitas  
item noctis vigilias, videre sibi visus ingentem hominum multitudinem,  
de Episcopo Hildesemensi concertantem, tum verò accedere ad illum  
matronam vultu & habitu honorandam, pulcherrimo virginum stipatam  
cætu: atq; manu apprehensa, e medio populi ad Ecclesiam deducere, por-  
recta dein manu dexterâ, nutu admonere, vt à Crucifixo veniam peteret,  
statimq; ipso suppliciter procidente, cum adstantibus clara voce præci-  
nere. *Infunde vñctionem tuam clemens nostris sensibus.* Episcopus i-  
gitur Hildesemensis, ingenti omnium approbatione, & gaudijs conse-  
cratus, ita fastigium concedit, vt è sublimi prospectans, nullum de-  
spiceret, prospiceret omnibus. In Cleri & populi gubernationem di-  
gna Episcopo sollicitudine intentus, dies noctesq; toto vitæ tempore ora-  
tioni-

tionibus iungebat, paterni pectoris frequentissimis gemitibus, causas sibi  
commissi gregis ccelo commendando. Auctum quapropter cum ac-  
cessu honoris, animi quoq; colendi studium, vigilijs, orationibus, con-  
tinua & prope incredibili ieuniorum frequentatione, largissimis ele-  
mosynis, summa vitae pietate spectatissimum. Factus inde Regibus ipsis,  
et Principibus, et formidini, et honori: ceteris, pro cuiusq; conditione ta-  
lem se exhibebat, ut timeretur ab illis et amaretur. Erat enim sollicitus  
pro omnibus, et in Christo omnibus omnia factus, sibi vni duntaxat rigi-  
dus et asper. Iuuenes & pueros, quorum indolem ad virtutem pro-  
pensam notasset, sumptibus impensis, ad scholas ablegabat, quorum  
postea operâ, multiplicem Ecclesiae suæ utilitatem, in eorum officiorum,  
quæ ad Clericos pertinent disciplinâ, comparauit. Thesaurum Eccle-  
siæ non minus decenter, quam utiliter auxit, & quicquid in templorum  
strukturis, non intra primariam duntaxat vibem suam, sed in alijs quoq;  
suæ diæcesis locis dirutum, & ruinosum, aut vetustate confectum repe-  
rit, summa celeritate restaurauit. Primum tamen ceteris opus, fuit Mo-  
nasterium S. MARIAE & S. Epiphanij nomine, cum Ecclesia Canonico-  
rum, erectum atq; in perpetuum dotatum. Latè inde sanctitatis Go-  
thardianæ fama spargi, quâ permoti, puellæ à malo genio insessæ paren-  
tes, Gothardo ad Moguntinam Synodum pergenti, obuiam cum virginis  
cula procedere statuunt, opemq; miseræ implorare. Reluctari infessor  
spiritus, mugire horrificum, ac vulnare, tum inquirere, quò iretur atq;  
accepto responso, de Gothardo aduentante, inclamare. se Gothardum  
nec videre, nec audire posse. Inter has voces malus hospes abiit.  
Gothardus autem facti notitia acceptâ, ne quid sibi tribueretur, palam  
sub arbore, sub qua ex itinere resederat, in terram pronus ruit, atq; cum la-  
chrymis animum humilem, in DEI cultum effudit, seuere quibus pote-  
rat prohibitis, ne factum vulgaretur. Par viri meritum probatum, ma-  
gis publico exemplo. Adiacebat Hildesiæ locus ingens palustris, ob va-  
ria spectrorum ludibria, an phantasmata, interdiu iuxta, ac noctu ap-  
parentia inaccessus, atq; vicinis horrificus. Hunc Gothardus in con-  
spectu vniuersorum, cruce, & reliquijs sanctorum, contra vim Dæmo-  
num

num, & successuræ ætatis hæreses, insignis, aggressus, habitationem,  
vbi maximum videbatur disserimen, supra fontem paludi medium, fixit;  
Oratoriumq; D. Bartholomæo extruxit, & sacrauit: atq; ita locum ac-  
colis, atq; aduenis commodum, planéq; securum fecit. Condidit ibi  
dem domum hospitalem, pro pauperibus & peregrinis, rebus omnibus  
humanæ inopiae, subleuandæ necessarijs, abunde instructam, atq; præ-  
ter vietum provisioni vestrum adventantibus necessariū sufficientem.  
Illud tamen peregrinorum genus, quod simulato Monastico vel Cleri-  
cali, vel etiam Græco habitu, regiones & Regna vagabundum obiret,  
*Peripateticos*, appellabat, non satis probabat, sed solo biduo, ad sum-  
mum triduo fotos, calceisq; aut vestibus donatos, hortabatur, ut abirent,  
ne soliti cursus obliuiscerentur. Intercedentibus familiaribus, quod  
inter illos quoq; amici veri DEI inuenirentur, respondere solitus.  
*Mendaces id efficere, ut etiam vera dicentibus non credatur.* Ne ta-  
men debitam virtuti vllatenus subtraheret opem, si quos ex ijs probatæ  
pietatis compersisset, vitato publico exemplo, priuatim eorum prouis-  
debat commodis. Erga delinquentes, & in peccata prolapsos mirè cle-  
mens, accedentes ad se promptissimâ clementiâ suscipiebat, eorum in-  
opiam, maximè si hæc in lapsum impulisset subleuans, egenis & pauperiz-  
bus, quos quotidie mensæ adhibuit, se interferens, cum illis colloquens,  
iucūdisq; & festiuis sermonibus inter edendū familiariter oblectans.  
Hæc in pauperes propensiō fecit, vt visitanti Diæcesim, egena vidua, filiū  
offerret, partim paralysi, partim leprâ affectum, distortum membro-  
rum nervis, dissolutum corpore, manibus, brachijs, pedibus, genibus,  
putrido humore, & fanie manantibus. Grato ac iucundo animo, tam in-  
gratum oculis munus. Præful accepit, certorumq; famulorum curæ  
commendatum, orationum, pro illo fufarum virtute, integrè sanavit.  
Alteri mulieri oculorum ingenti dolore affectæ, aliquid sibi muneris  
per filiū offereati, flores de arbore, eodē tempore a paupere sibi oblata, de-  
cerptos, atq; signo crucis sacratos, per eundem filium remisit, his adiectis.  
*Affer hos flosculos dilecta mihi Matritua, ut eos seruet pro mei memo-  
ria, atq; à Deo petat sanitatem.* Illa verò simul ac flores admovit ocu-  
lis

lis, dolores evanescere sensit, pristinæq; reddita integritati. Inventus  
qui tam pium Gothardi cor, impiè occupare voluit eóq; penetrarat, vt de  
paupere diues, de humili sublimis, grauis multis fieret, animumq; Epis-  
copi à fidelibus sibi ministris abalienaret. Indicto iudicio litium, cum  
multa à varijs sibi obijcerentur, tanta eloquentia ad obiecta respondit, vt  
reus innocentibus insultare posset. Tum verò Gothardus. *Hildenine,*  
(id viri nomen) *tu iam omnes vici se videris, at nunc ad me conuertere,*  
*& per Christum adiuratus vera fatere.* Quod autem quæram ex te,  
illud est. *Hildevine amas me?* Ad quæ verba ille bis incunctanter re-  
spondit. *Revera diligo te.* cum verò tertio interrogaretur, animo ira-  
cundiâ oculisq; lachrymis suffusis, *Deus* inquit, *quem nihil latet, scit,*  
*quia diligo te.* Absolvit sic defensum Præfut, sed monitum adiecit, vt  
si falsa defensio esset, pænitentiam ageret, nec Dei pñnas prouocaret.  
Post mensam Præfutis, cænam domi latus instituit Hildevinus, sañnis &  
mias accusatorum apprimè conditam. Sospes deinde dormiit, suspes è  
lecto surrexit, sed dum tunicam induit, repente in terram prolapsus,  
mendacem exhalauit animam. Feliciori benigni pectoris confidentiâ  
vñs vir integerimæ virtutis, suæ Ecclesiæ Scholasticus, cui sæpius, ioci  
specie prædixit, eum aut secum, aut paulò ante se vitâ excessurum: ac  
tandem extremè morbo laborantem monuit, vt ad ingressum æterni-  
tatis paratus esset, suiq; aduentum proximo anno præstolaretur. Vtrumq;  
euentus probauit: quem in D. Gothardi obitu planè mirabilem multis  
modis Diuina voluntas declarauit. Inter dies enim supremos  
Quadragesimæ, quos festiuè, *saluberrimos*, appellabat, cum illos vix  
neruis coherentibus, summâ abstinentiâ obiret, nihil tamen de Episco-  
palis functionis onere, præsertim die Palmarum, Cænæ Domini, die sa-  
cro Resurrectionis, omittenter: ac deinde pro consuetudine fideles, Pa-  
schali tempore, per vicinas stationes, pagosq; & oppida, visitaret, publi-  
cè denunciabat, se hanc postremam agere cum illis in corpore solenni-  
tatem, sed in Christi Ascensione iturum se, quo Dominus iussisset.  
Cum risu propè ab audientibus hæc accipiebantur, præsertim cum alijs  
interdum vñs vocibus, in patriam se iturum denunciaret, tum enim:

de Bauaria visitanda eum cogitare existimabant atq; nonnulli socios  
se itineris offerebant. At ille neminem se itineris socium assumptuorum,  
præter Brunonem, è suis domesticis carum sibi iuuenem, respondebat,  
eumq; ab ipso initio anni, quo è vitâ abiit, saepius monebat, vt se ad iter  
in patriam compareret. Id, vt certius persuaderet, frequente nonnun-  
quam Cleri cætu, veste sua, quam nouâ assumpâ, deposuerat, indutum  
adesse iubet. Reluctari Iuueni, & deliramenta velut senis contemnere;  
verum ut à cubiculariis Episcopi, habitu imperato, ante aspectum eius  
adductus est, protinus Præsul. Noueris Bruno pro certo, te in hac ve-  
ste nonos auditurum rumores His diës egressus iuuenis febri corri-  
pitur, atq; ad Matrem defertur, datis Matri Certissimis mandatis, vt  
in sui occursum pararet filium, quatenus posset secum proficisci. Auge-  
batur in dies morbus iuuenis, mox idem D. Gothardum corripuit. Huius  
nuncio percrebrente magnus factus concursus Cleri, quos ille primū  
singulos, deinde omnes pijs monitis pro sua authoritate, tū obsecrans,  
tum increpans, ad piè, sanctèq; viuendum adhortatus, illorum se preci-  
bus, aduersus callidi hostis infidias commendauit, ejsq; obitūs diem, &  
sepultuæ modum, quasi ludens disertis verbis, denunciauit. Itē inquit,  
¶ ad futuram Ascensionis Dominicæ solennitatem vos præparate, ad-  
uentum q; meum expectate. In ipsa enim vigilia Ascensionis veniam ad  
S. Mauritium patronum meum, at q; illicitum noctem, tum diem san-  
ctum agam, sed tamen mittam Abbatem, qui mea voce Missarum so-  
lempnia celebret. Sursum item erestis oculis, suspirans, pariterque arris-  
dens. Nocte, ait, illa, vt Christo Domino visum fuerit, peractâ, feria  
sextâ diluculo veniam ad S. Michaelem cum Abbatem, ¶ fratribus per-  
noctaturus. Inde sabbatho precaturus accedam ad S. Andream, post  
ad vos me conferam, vobiscum semper permansurus. Porro Domini-  
cam diem connocatis fratribus, ¶ amicis, solenniter celebrabimus, at q;  
ita totius festi incunditatem absoluemus. Ad Brunonem inde misit, qui  
illi, nomine suo referent. Consolare puer meus, ¶ confortare in Do-  
mino, quia iam tempus instat, quo ad Patriam aeternæ beatitudinis, re-

Vera mecum proficisceris, quibus ille auditis, viatico sacro sumpto, la-  
tus comitatum Beati Antistitis, sibi gratulabatur. Accessit quoq; eodem  
mori, & temporis interuallo D. Praefulem quædam nobilis Abbatissa,  
iurium Episcopi olim oppugnatrix, tum pro iuriis supplex, quarum  
memoriam cum deprecatione recolenti. Oro te inquit Gothardus,  
per Christum, hæc interim missa facito, & donec in festo S. Mariæ conne-  
niamus, suspendito. verbis ab abbatissa ad spem vitæ præsentis flexis, colle-  
ctis Episcopus fortiter viribus, & apertis oculis, diu omnes circumspe-  
ctans, in potestate, ait prepotentis Dei, in qua, & vita, & finis noster con-  
sistit, in veritate, quæ Deus est, dico tibi nos in ferijs Sanctæ Marie, ubi  
Deus voluerit, certo pariter conuenturos, atq; illuc, coram illo veracissi-  
mo teste, tum de his tum de alijs, in quibus inter nos dissidemus, tracta-  
turos. Inde sublatâ dexterâ, benedictione eam muniuit, atq; veniâ  
culparum datâ, non leuiter percussam dimisit. Aucto morbo in vigilia  
Ascensionis ad S. Mauritii montem deuectus, nocte, à Clero in summo  
magrore, à Praefule in Psalmorū dulci meditatione, exactâ, aduenientib;  
diluculo, vale dicit, atq; ad celebranda sacra missarū cum Abate abire iu-  
bet, à quibus reduces, Praefulem officio linguæ penè iam cessante, corde &  
mente psallentem, psalmosq; fesso pectore elicentem, inueniunt.  
Quatuor igitur diligunt, qui lectulum circumstantes, psalterium cla-  
ra voce recitarent, magno solatio ægri, non unquam vocem ad psal-  
lendum cogentis, præcipue cum versus, quibus deprecationes Diuinæ  
specialiter continentur occinerentur. Tum enim exultans spiritu, a-  
pertis, atq; ad coelum erectis corporis luminibus, toto nisu, ad laudan-  
dum Deum, deficientibus, viribus, & vocibus eluctabatur. Iam noctis  
medio matutinæ orationes ab adstantibus erant decantatae, ventumq;  
ad canticū Zachariæ. *Benedictus Dominus Deus Israel*, cuius auditis illis  
verbis. Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent. D.  
Praeful collectis viribus respondit *Ad dirigendos pedes nostros in vias*  
*pacis.* Tum continuante Clero suauissimam Christi seruatoris denun-  
ciationem *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum dum ab ad-*  
*stantibus (sic voluerat) ad hæc audita, è lecto in altum attollitur, bes-*

atissima anima relichia mole corporis voces Christi secuta, cælum feliciter petiit. Datum obitus signum ære campano, ad ignarum quoque illius Brunonem peruenit, sed quod rumor celabat, intentus ad promissum, ad Patriam iter, animus cognovit. Exclamat igitur, Re vera cum hoc signo, *Charissimus meus Dominus cœlum ascendit, & promissionum suarum prob dolor oblitus, me hic dereliquit. O Sancte Präfult!* ò Pater humanissime! per illum te adiuro, ad quem vadis, ut nunc sis memor mei, nec me patiaris tibi superstitem, in carne manere, cui toties pollicitus es quod tecum in Patriam essem abiturus. Dum hæc cum adstantibus audit Mater, dum hæret, dum ad filium oculos reflecit, iuuenis comitaturus herum, suauissimè expirat. Felix felicis Ducis comes! felix imperium, & felix obsequium! Territa hoc quoque eventu Abbatisse, cuius supra meminimus, ad D. Präfulis tumulum munera supplicia misit, sacrificiāque suprema Christianorum offerri curavit: placuit nihilominus Divinæ maiestati, serui sui fidem re firmare: unde cum pauida Assumptionē, inde Nativitatē sanctissimæ DEI Genitricis exegisser, triduo ante eius Purificationē ad designatum Tribunal euocata. Subsecutus funus, illum ordinem tenuit, quem olim prædixerat. Namque in vigilia Ascensionis ad S. Mauritii montem delatus, posteaquam ibidem anno die Ascensionis D: N: spiritum cælo transmisisset, feriâ sextâ à Brunone Mindensi Episcopo, ingenti Ciuium, & Provincialium, sed maximè pauperum concursu, ad Monasterium S. Michælis deductus, vniuersis, inter lacrimas gaudentibus, inter gaudia flentibus. Flebant se iam tanto orbatis viro, gaudebant aliquando donatos: flebant quod talem amisissent Pastorem, gaudebant quod tales præmisissent intercessorem. Hoc in itinere cum corpore Brunonis pueri obuiam ventum, quod ante Episcopi pedes, per destinatas Ecclesias circumlatum est. vigiliis enim ad S. Michæleum ritè peractis B. Präfulis corpus ad S. Andream processit, ac inde post sacrificia exoluta, in æde primaria, quâ decet veneratione depositum, donec die Dominico, medio eius ædis templo conderetur. Ita Goithardus festum sui funeris, ut edixerat conclusit, illud autem cum CHRISTO agit, quod nunquam finem habiturum,

VOTVM NATALE.

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM

Natus omnibus, vivis omnibus.

Victurus pluribus, nascere pluries,  
Tot numera Natales dies,

Quot censem annus natos Soles,  
Tandem,

Cum vixeris diu GOTHARDVS

Serò moriare GOTHARDVS

Æternumq; triumpha GOTHARDVS

